

AA 17 560 TECMHO

IOANNES RHELLICA

NVS, TIGVRINVS, CHRISTIANO

Lectori salutem, & conscientiae trans-

quillitatem per Christum

Iesum.



Va occasione Gaspar Megander suas in
Paulum Cōmentationes publicare com-
pulsus sit, Christiane Lector, ex prælimi-
nari eius Epistola patet. Neq; uero ope-
ræ pretium est ut eas hic tibi multis commendem, par-
tim quod sperem illas suo se fructu satis commendatu-
ras, partim quod quum author (tametsi ob miram in
sacris literis tractandis, ac germano sensu eruendo,
& acrimoniam, & diligentiam meritò commendan-
dus esset) mihi & conterraneus, et amicus sit, satius
est, ut à commendatione supersedeam, ne tritum illud
nobis occinatur, Mutuum muli. Proinde illa posthabita
ta, me ad institutum meū conferam, quod ad hunc mo-
dum accipe. Quum literarum studia ubiq; fermè fri-
geant, & pleriq; hanc culpam Euangelio imputent,
statui ad te studij nostri Bernensis rationem prescri-
bere, non ut per eam nos orbi notos faciamus, sed ut uel
alios nostro exemplo ad similem, aut potiorem ratio-
nem extimulemus, uel ut pro nostra uirili hanc Euangeli-
j labem abstergamus. Ludus itaq; literarius hoc mo-
do insti-

do institutus est. Elementarijs pueris tres uiri honestis
stipendijs conducti præsunt, quorum hæc sunt nomi-
na: Ioānes Endesbergius, aut si Græcè mauis, Telorus,
ludimagister, iuuenis trilinguis. Petrus Huberus utrius-
que linguae mediocriter gnarus, το ἐκένου νῶος ει-
δόσηναλος, qui pueros trium linguarum rudimenta
dōcent, unā cum tertiano quodam, qui tantum Latinæ
linguae prima elementa tradit. Cæterum ego, & Ga-
spar Megander, ijs, qui in studio literarum nonnihil
proficerunt, hæc tradimus. Ante prandium ad imita-
tionem Theologice Tigurinorum schole (tametsi lon-
ge sequamur, & uestigia semper adoremus) uetus Te-
stamentum: ita, ut Latina interpretatio præcedat. De-
inde Septuaginta præleguntur, quæ partes meæ sunt.
Tertiò Hebraica ueritas secundū rem grammaticam,
hoc est genuinum sensum, à Megandro ita explicatur,
ut primum indicet, quid cum Latina, & Græca tra-
tione ei conueniat, aut secus. Postremò ubi & Germa-
nica interpretatio prælecta est, prælecti loci scopum
& summam ostendit, ac quomodo singula pro sugge-
stu tractanda sint edocet. Post prandium hora duode-
cima ego solus nunc Erasmi libellos de utraq; copia,
& Salustij historias alternis prælectionibus enarro,
breui Dialectices, & Rhetorices elementa exorsurus.
Sub horam tertiam itidem solus Nouum Testamentum
in ea lingua qua scriptum est, prælego, primum Gram-

RHELLICANI EPIST.

matici, deinde & Theologi (pro mea in hisce literis
paruitate) officio fungens. Porro ne prædictæ præle-
ctiones frustra prælegantur, sed ut appareat quē quisq;
fructum inde reportet, cum Vuolgangi Capitonis uiri
undecunq; doctissimi, pientissimiq;, tum eorū, qui hic
uerbo dei præsunt, communi consilio in proxima Sy-
nodo decretum est, ut singulis diebus Martis (quando
& agrestibus Parochis propter rerum uenalium forū
adesse licet) in harenam descēdamus, ac propositum
unum atq; alterum difficultem scripturæ locum tracte-
mus. Quæ exercitatio quantum ad mores, & linguam
formandam in periculis illis temporibus nobis con-
ducat, res ipsa indies docet. Pleriq; enim multò instru-
ctiores cum ad Papistas, tum Anabaptistas conuincent
dos sunt. Hæc habui in præsentia Christiane Le-
ctor, quæ te scire opere pretium putaui, tuum interim
fuerit, Megandi annotationibus frui, & meam hanc
opellam qualemcunq; (Euangelij certe causa, & rei
literariæ promouendæ suscep tam) eo animo accipere,
quo ego eam suscepi, hoc est syncero, & candido. Tu
si quid nouisti rectius istis, Candidus (ut inquit Horatius
ad Numitium suum) imperti: si non, his utere me-
cum. Nam si te candidum harum lucubrationum iudic-
cem experti fuerimus, & ea temporis progressu tibi
cōmunicabimus, quæ idē Megander in Pauli Epistola
ad Ephesios mira ingenij dexteritate scripsit. Vale.

vn

IN BIBLIOTHECAM

BERN. OMNIS GENERIS LI=

brorum copia instructam, eius= dem Rhellicani elegia.



Aud securus ac Marte uicit Tritonia Pallas,
Auxilio Graijs dum fuit illa suis:
Pellitur et nostro sic tempore Martia turba
Finibus Vrsinis Pallados huius ope.

Vera Minerua etenim summi sapientia patris
Restaurata modo est, Berna beatatibi.

Nang; dei uerbum, celsiq; oracula patris,
Irradiant menteis lumine nunc hominum.

Barbara quæq; fugat Pallas, suscepta cruenta
Nomine mercedis bella fugare solet.

Atq; ita contingit, quod uates ille futurum
Isaias quondam uaticinatus erat:

Scilicet ex gladijs uomor eudatur aduncus,
Hastaq; tunc falcis pergit habere modum.

Pro gressu etenim, bombardis, et catapultis,
Bibliotheca grauis ianq; parata manet.

Codicibus grauis est ea, nec uulgaribus, immo
Quos celebrant Græci, Iuda, Latinus item.

His opus est armis, qui uere castra Minerue
Sectantur: cadit his Barbarus hostis enim.

At quum profuerint non arma nitentia cuiquam,
Ni quoq; uibrandi sit scius ille bene:

RHELLICANI

Sic nec Berpa satis putat esse uolumina clara.
Mercari, ut blattis illa cibus fierent.
Quinimò doctores magno conducit, et ultra
Discipulos multos illa fouere solet.
Namq; nisi hoc fieret, Pallas contempta iaceret
Ethnica, nec sacrae tum foret ullus honos.
Ni fuerint siquidem studiosis premia digna
Paulatim redeunt Barbarare regna quoq;
Quamq; ferenda sient hæc Barbara regna Minerue,
Sæclis preteritis discere quisq; potest.
Namq; Gothis, Hunnis uastantibus omnia Roma,
Barbaries penitus regna Latina capit.
Nec solum Romana capit, sed Græca pererrat
Regna: nec Hebræas ut sinat illa tribus.
Ars siquidem nulla est, quam non temerauerit illa,
Ethnica siue sit hæc, siue sit illa sacra.
Accidit hinc dominus Iudeis antè minatus
Quod fuerat, nostra ut reproba mens fieret.
Iustum namq; malum reputauimus: inq; serena
Luce uelut cæcus palpitat omnis homo.
Pontifices siquidem quidquid statuere, ualebat
Plus quam que statuit Christus homoq; deus.
At quum nos tandem dominus miseratus inerteis,
Prima Latina redit lingua, polita, elegans.
Lingua Pelasga dehinc caput exerit, atq; docentur
Iudea clementia dein, Biblia sancta dein.

Hinc

Hinc factum ut uarijs collata uolumina linguis,

Exerent arteis iang; caput nitidum.

Quo facto, sensim cecidit Romana tyrannis

Pontificum, domino iam feriente feram.

Flamma sopiti ignis mox emicat, atq; resulget,

Quæ fouet, ac reficit languida corda hominum.

Sic ut nemo queat seducier insuper, ipse

Ni uelit in tenebris sponte manere suis.

Pro his igitur donis grates persoluere dignas

In primis domino quisq; pius studeat,

Dein studiosa cohors, præsens, ac postera sæcla

Et mediatori præmia digna dabunt.

Nam mediator erat prudens, sanctusq; senatus,

Auspicio cuius Bibliotheca sita est.

Nollius officio præfetus erat literato

Huic, satagens libros comparet, atq; locum:

Hic literisq; fauens, literatus ex ipse, subiuit

Gnauiter hoc munus, conficit atq; citò,

Præmia digna ferent autem si grata iuuentus.

Pro meritis fuerint, ac studijs dedita.

Hoc fiet, si rite colatur, ametur in æuum

Is deus, ac dominus, qui facit omne bonum.

Principium ueluti sapientiae est, esse colementem

Vnius domini, doctus ita esse potes.

Sic tu doctus eris, aliosq; docebis amanter,

Non tibi natus eris, non tibi doctus eris.

RHELLICANI EPIG.

At si negligitur dominus, nec doctus eris tu.
Rite tibi adscribens quod domini fuerat.
Profueritq; alijs tua nec doctrina, oberit sed
Quum tibi, tumq; alijs exitiosa manet.

F I N I S.

Ο ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΡΕΔΙΛΙΚΑΝΟΣ ὁ ΤΙΓΥΡΙΝΟΣ, τῷ
νεότητι Αρκτοωαλίτιδι.

ΒΙΒΛΙΟΘΗΚΑ ΒΑΡΥΣ σοὶ ἔτοι μαθῆσα πάρεστ
Φίλτατε παῖ, ἵμεροις παλλάδοις ὄντας καλά,
παλλάδοις ὄντας καλά οἵτις εἴτε μποτὲ βάρβαρος
λαομεδοντιάμητοι, ιλιον ἀκρόωαλις. (Ἐχθρός
Ως τὸν μάταιολέται αἱμουσοῖς, ἀτεργόκαλος σοί,
παλλάδοις γνώθαι αἱρίσθιεν ὄντας λία.
Γράμματα τοι φιλόμουσε παῖ μάθε σὺνθεῶ, οὐτε
παλλάδοις γνώθαι πανοπλίδιον γεσσα. (Των

Τέλος.

